



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 139. Legatorum postulata ad Papam

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

adventum die in secreto Patrum Se-Sæcul. XV.
natu illos ad alloquium admisit. Inter A.C. 1447.
hos a Cæsare, missus fuit Æneas Syl-
vius, qui ceterorum nomine verba fecit,
atque exposita Legationis suæ causa as-
seruit: nil præter pacem a Germaniæ
Principibus ardentius exoptari, eo unice
illorum vota, curasque dirigi, nec mala
fore unquam auferenda, nec nationi Ger-
manicæ de perfecta tranquillitate pro-
videndum, nisi summus Pontifex con-
cordiæ pactis mox sibi proponendis ac-
quiescat.

§. CXXXIX.

Legatorum postulata ad Papam.

Sylvius hæc pacis restaurandæ vias ad *Comm.*
quatuor revocavit capita. I. Conci- *Pii II. lib. 1.*
lium Generale in tempore, locoque desi-
gnando convocetur. II. Potestatis, au-
ctoritatis, & Conciliorum Generalium
præminentia professio, quam Eugenii
Oratores fecerant, ipsis literis Apostolicis
approbetur. III. Nationi Germanicæ de
tollendis oneribus opportune provideatur.
IV. Ea, quæ in præjudicium Coloniensis,
& Trevirensis Archiepiscoporum, atque
Electorum acta essent, ex ipsius Eugenii
clementia revocentur, ipsique in pristi-
num statum restituantur. His subjunxit *Cochl. hist.*
Legatus, in prima Principum petitione *Hussit. lib. 9.*
communem utilitatem versari, in se-
cunda

Sæcul. XV.
A.C. 1447.

cunda Pontificis humilitatem novo specimine probandam expectari, tertiam vero ab ejus æquitate, quartam denique ab illius benignitate ac clementia dependere aiebat. Hæc Æneæ oratio tum a Papa, tum a Cardinalibus summopere commendata est.

§. CXL.

Alia pacis via a Galliarum Rege proposita.

Rex Franciæ, cum novi Concilii Generalis convocationem haud levibus incommodis obnoxiam præsentiret, diversam a Germaniæ Principibus sententiam fovebat. Quamvis enim Basileensis Synodus Generale Concilium in loco, quem Imperator, & Electores nominandum duxerint, celebrari consensisset, & quæstio de auctoritate Conciliorum supra Papam in Concilio Constantiensi (*) decisa fuisset, nihilominus hæc eadem definitio in perpetuam discordiarum scaturiginem degenerabat. Huic accessit, quod Basileensium cœtus fere penitus evanuerit,

(*) Hanc quæstionem legitime fuisse decisam minime constat, hancque in rem consuli poterunt annotationes, quæ in fine tomi XXV, necnon in duobus sequentibus passim occurrunt.